

1529. v. 30. ni fallor.

875

Petrus Tomicki Episcopus Craco:
viensis Vicecancellarius,
Stanislaus De Rzeczyca Penitentia:
rio Romana.

Venerabilis domine frater in Christo
Charissime.

Cum allata essent servitoribus no:
stris Diplomata seu bullae provisionum
ad nonnulla sacerdotia post mortem Jao:
bi Schutz vacantia, absque omni mora
ad accipiendam possessionem quisque in
locum suum erant profecti. Sed tamen
domini Archiepiscopi Gnesen^s inhibitione
et opera, ac eorum qui sunt in singula
sacerdotia intrusi non sunt ad aliquod
illorum admissi, appellationeque omnibus
intimata Romam provocarunt, quarum
appellationum exempla nos vobis mitti:
mus, etiam et mandata plura nostro:
rum servitorum; ut illorum nomine ad:
veniente termino Declarari faciatis i:
stos temerarios occupatores, et qui lite:
rarum Sedis Apostolicae auctoritatem
contempserunt.

Ceterum vellemus, ut expediantur
litere provisionis Nobili Petro Porem:
bski servitori nostro optimo adolescenti
ad Canonicatum et Prebendam Lancien:
sem, et Nicolao Gorski ad parochialem
in Sandziejowicze, simul et monitorium

penale

penale contra intrusos, sciatis autem
quod Canonicatum Lanciensem occupa-
vit Albertus Siemichowski, qui est Pa-
tavi post mortem Stachlevo, et ecclesiam
in Sandziejowice Martinus Kopalenicki
nepos Domini Archiepiscopi.

De Dudzowski vero servitore
nostro vos plurimum rogamus, ut con-
silio accepto ab aliquo jurisperito, et re-
cum Gandkowski communicata commu-
sionem illi rursus commoda narratione
obtinere curetis, secundum ea, quae ex
instructiuncula in hac causa scripta,
et partibus alligata cognoscetis.

Alia, quae vobis commisimus, cum
hinc discederetis, rogamus vos, curetis
Diligenter pro officio et industria vestra,
et reverendissimo domino Cardinali Sancto-
rum quatuor. coronatorum, nos et ser-
vicia nostra commendetis, referatisque
ejus Reverendissime Dominationi de
hac difficultate, quam facit dominus
Archiepiscopus servitoribus nostris,
et patrocinium ac consilium illius
in ea re imploretis, provideatisque
ne adversarij nostri de sua malicia com-
modum aliquod reportent. Nos vero vi-
cissim curabimus, ut pro officijs vestris
bona gratia vobis referatur. Bene va-
lete et nos diligite. Datum Pet. P.